



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Casu iaculati, diuina manu directi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

Dei erat opus dicendum; Dei, inquam, per *casum*, humanæ artis superbiam erudientis, docentisque, sæpe, in re leuissima, humanam industriam deficere, & insciam aliunde fulciri, ut indaget, unde fulciatur.

Huc spectat & illud, quod de puerulo memorat Olaus, cui itidem & *Casus*: & Deus insignem gloriam peperit, quando, hoste Groningam Frisonum urbem obsidente, artem parentis imitari volens innocens filiolus, igne in magnum tormentum bellicum immisso, caput illustrissimi ducis, in obsidione foris milites exhortantis, ferreo globo expulso, auulsi, & obsessis quietem peperit. Lusit tum puer, sed Deus serio egit, qui pueri manum in hostem direxit. Dixit olim Elifaus ad regem Israël: *Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Elifaus manus suas manibus regis, & ait: Aperi fenestram orientalem. Cumq; aperuisset, dixit Elifaus: Iace sagittam.* Sic nimirum Deus manum nos iubet ad mouere operi, sed manui nostræ manum ipse suam superponit. Nos arcum tendimus, Deus dirigit sagittam. Nostrum est telum iacere, Dei destinare. Quemadmodum, quando *uir quidem tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël, inter pulmonem & stomachum.* Sagittarius, casu, Deus consilio regem percussit. Nos quoque omnes sæpe nescij, cum Deo, immo Deus nobiscum manum mouet. Ob quam causam ait Dauid: *Ecce, Domine, tu cognouisti omnia, nouissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Hoc est, quod vulgò aiunt: *Homo proponit, Deus disponit.* Sic sæpe non sagittam, sed verbum ex ore acutius mordaciusque finit aliquis euolare, quo eum non tangit, quem petit; cum interim alium vulnerat, vulnere indigentem, & ex eo idu sapientem; aut certè cum ille ipse, qui petitur, dictum aliorum accipit, quàm fuerit à dicente destinatum.

Ita accidit Monacho, de Ottirburg, quem diuina pudentia, mirabili casu, in ordine Religioso, conseruauit. Is à fallaci dæmone & Mundi illecebris irretitus cogitauerat Canobio, & Deo nuncium remittere. Ea in cogitatione noctes diésque versabatur. Stabat igitur aliquando, in choro, & alijs matutinas preces cantantibus, ipse cantu abstinens, ac silens, mente secum agitabat, quo tempore, quòue modo, ordinem deserere vellet. Hoc orandi tædio totos matutinos cantus neglexerat. Ventū erat ad *Laudes*. Ibi,

Gg 3 dum

VI.

Olaus Magn.
lib. 9. c. 28.

4. Reg. 13. 16

3. Reg. 22. 34

VII.

Cæsius
lib. 4. c. 55.